



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Constans Defensio, Ex S. Scriptura, Et Vera Catholica
Doctrina, Atque Observatione Vniuersalis Christianæ
Ecclesiæ Deliberationis de Christiana Reformatione**

Bucer, Martin

Genevae, 1613

De sacra Coena 66

urn:nbn:de:hbz:466:1-34315

Vicesima tertia Accusatio.

De S. Cœna Domini.

De Transsubstantiatione.

De Reformatione Sacramentorum.

CAP. LXVI.



Hæc accusatio instituta est de S. Cœna, sacramento corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi. Continetur autem octo capitibus.

Quorum primum est, de Transsubstantiatione, hoc est, transmutatione seu conuersione panis & vini in corpus & sanguinem Domini nostri Iesu Christi. In quo Aduersarij librum Reformationis accusant, ponentem, Nos communicationem corporis & sanguinis Christi cum pane & vino percipere. Et dicunt librum vel- le, quod in hoc Sacramento generum diuerforum res duæ nobis: Vna, Panis & vinum: altera, Corpus & sanguis Domini nostri Iesu. In contra- riam partem conantur ipsi probare, & testimoniis Scripturæ, & autho- ritate Patrum, quod in S. Cœna post Consecrationem factam non am- plius sit panis & vinum, sicut ante consecrationem fuit.

Defensio libri Reformationis ex verbo Dei.

Veris Christianis indubitatum est, Omnibus in rebus verbo Dei quàm simplicissimè credendum esse, iuxta illud & loquendum, & agendum. Iam testatur verbum Dei Domini discipulis suis benedictum ac fractum panem dedisse, sic etiam calicem, ac dixisse, *Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus*. Ex quibus verbis Spiritus sanctus per Paulum inquit 1. Cor. II. *ita quisquis ederit panem hunc, aut biberit de poculo Domini*. Ad eundem modum loquitur, 1. Cor. 10. *Panis quem frangimus, nonne communicatio corporis Christi est*. Quo in loco rursus expressè Panis nominatur tanquam signum: & communicatio corporis Christi, tanquam id quod hoc signo traditur ac percipitur. Eandem loquendi consuetudinem imitatur liber Reformationis, in eo quod fatetur: & communicatio corporis Christi, tanquam id quod signo traditur ac percipitur. Eandem loquendi consuetudinem imitatur liber Reformationis, in eo quod fa- tetur, duas res in S. Cœna dari & accipi, Visibilem nempe, panem & vi- num: & inuisibilem, Corpus & sanguinem Domini. Rectè igitur & cum Scriptura consentaneè loquitur liber.

Solutio obiectionis deducta ex S. literis.

Contra hanc doctrinam nihil aliud adducunt Aduersarij ex S. literis, quàm hæc verba Domini, *Hoc est corpus meum, &c.* & aiunt, Domi- num non dixisse, *Hic est panis, & vinum*, aut, Cum istis vel sub istis est corpus & sanguis meus, sed, *Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus*.

Responsio.